

GÖTTINGER REDE.

Rerum praesentium vicissitudines tam citato cursu sese proripiunt, ut reputantibus nobis quae fiunt atque id agentibus ut ea animo comprehendere, nexum eorum accuratius perspicere nosque ad id quod adest quodque praesens est accommodare contendamus, iam erepta sint ex oculis nostris oblivioni-que tradita, quae praesentia etiam nunc esse crediderimus. Ea enim est nostrae aetatis indoles ut rem magnam maior, maiorem maxima excipiat et qui inde nascuntur graviore animi motus placide non deleniantur, sed terrore potius supprimantur. Qui quidem anxius rerum status, dum cogitationes multorum occupat, eo alios adducit ut mentem a tali perturbatione avocantes praeteritis advertant oculos omnemque operam indagandae historiae perscrutandaeque antiquitati impendant. Vetusta monumenta accuratissima diligentia anquirunt, morum, iuris linguaeque primordia et progressus investigant nec quidquam omnium eorum est, quod detrahi sibi sinant. Quin tumulos effodiunt memoria hominum antiquiores, arma, suppellectilem et quidquid pietas ossibus defunctorum apposuit, educunt curiosoque ardore perscrutantur.

Quod quidem acre historiae studium, cui laudis, qua iure fruitur, is profecto nihil detrahet, qui in illo promovendo facultates qualescunque ipse collocaverit, tantum abest, ut omnem spem nostram atque expectationem sustineat, ut pectus anxiis curis quodammodo implere videatur. Crescit enim in dies moles rerum, molis instar nivium de monte sese volventis, ut illis amplectendis vel tenacissima memoria vix par esse videatur. Is certo, qui omnia, quae facta peractaque sint, retinere studuerit,

adumbratas potius intelligentias hebetatumque ingenium quam acutum sentiet. Adde taedium, quod nobis affert, quae sit mentis humanae indoles, consideratio. Num quid enim in dubium vocari potest, errori saepius successisse errorem veritatisque lucem, ubi e tenebris emerserit, nubibus mox esse obductam?

In his itaque angustiis ne ab aestu rerum abripiamur oculosque mentis perstringamus, petenda nobis est altior quaedam historiae contemplatio. Qui quae ab hominibus suscepta sint, quae peracta sive inchoata relicta, diligenter reputaverit, facile intelliget, alia manasse ex intimo eorum animo, alia in temeritate fortunae posita esse. At vero historia illis unice contineri mihi videtur, quae ex vitae prodierint veritate. Quemadmodum itaque verus eius fons animus habendus est hominis, sive grandis et erectus sive pusillus, cupiditatesque, quae nobis in visceribus atque medullis haerent, sic etiam expleta mentis humanae comprehensio verus est ex omni historia isque uberrimus fructus.

Patriae historiae annales evolventibus una res obvia memorabilis sane dignaque admiratione, quod Germani, adversa fortuna miseriisque oppressi, omni fere tempore confirmato refectoque animo malum a cervicibus depulerint. Quamvis enim fortunae iniuriam nimia saepe patientia, ne dicam ignavia acceperint, tamen callo animum obduci haud passi ingeniique tarditatem vincentes mox partes suas fortiter susceperunt. Magistra vitae ipsa fuit calamitas monuitque, ut laetiores sortem ab insita innataque virtute, ab integritate et amore patriae repeterent. Germani contra Romanos summa virium contentione frustra dimicantes bellique artibus victi a superbiente imperatore in silvas erant repulsi. Nondum vero ducenti intererant anni, cum generosus ille vir, dilapsa iam re Romana, a Germanis imaginem sumeret vitae purae incorruptaeque, quam popularibus suis tanquam antiquae probitatis atque fidei exemplar proponeret.

Germania nostra, in media Europa sita et ab oceano, qui commercium societatemque cum aliis terrarum partibus periculo vacuum tuetur earumque opes subvehit, praeclosa, undique peregrinis cincta est populis. Peregrini vero alieni, saepius hostes. Quo quidem singulari suo situ aequae coacta est affectare gentium imperium ac impedita, quo minus hoc scopum attigerit,

quamvis negari non potest, medii aevi tempore, quod prae ceteris eiusmodi cogitationes fovebat, propius saepe ad illud accessisse. At communis Europae fortuna semper fere in media nostra patria ferro diiudicata est nec ullum vix exarsit bellum magnum et atrox, quale confusae hominum rationes nonnumquam provocare solent, cui implicata non fuisset. Inde factum est, ut eius humus sanguine vix omnium populorum iam sit infecta madefactaque. Saepenumero rudi violentia lacerata domum suam vidit vastatam, laboris operosi ac honesti fruges ademptas, fruges sedulo collectas in ventos disiectas. At sedata tempestate cum nihil iam reliqui esse videretur, naturali quodam instinctu vel in animalibus obvio ducta muros refecit lapsos fundamentaque restauravit. Quid quod acerbitates miseriaeque maiorem quam res florentes vim habuere ad ingenium populi germanici excolendum sui que ipsius naturam cognoscendam? Cuius quidem rei non est quod petam ex antiquiori historia exempla. Taceo res horrendas apud Burgundiones commissas, saevissimam Francorum feritatem, ex quibus surrexit regnum Caroli, cuius nomen iure, quamvis minus recte explicat historia, quum magnum eum appellat. Quis est qui neget vexationes pontificiae potestatis, quae nullo pacto ferri amplius potuerint, suscitasse immortalis Lutheri vim roburque animi, quo nobis aditum ad puram incorruptamque evangelii doctrinam comparaverit. Quod omnium, quae vitam fortunent, rerum copiae bello tricennali sublatae fuerint ac deletae, hoc in postremis fuisse iudicabit qui exortam inde in Germaniam barbariem languor[em]que reputaverit. Tanta fuit, ut parem vix ulla aetas viderit. At depressam dignitatem resque inclinatas atque adeo iacentes restituere renatae ex antiquitatis studio litterae ingenuaeque artes. Nihil attinet reducere in memoriam vim nobis a tyranno nuper illatam, qui totam paene Europam ad pedes sibi iacentem viderat; haeret in mente tum malorum praeteritorum acerba tum gloriae laeta recordatio, qua Germania libertatem suam atque honorem recuperaverit. Quid plura? alias uberioresque fruges nobis tulerunt studia indefessa opera fota et latens quasi animi cultus. Gens enim illa, quae semper ita superbam se praebuit, ut principatum Europae adfectare haud dubitaret, facere non

potest, quin principatum Germaniae in politiori humanitate inque artibus, quibus vera mentis cultura contineatur, libere agnoscat. Ipsa enim hac tempestate viros suos doctos emittit, qui scholarum nostrarum rationem, universitatum literarum et academiarum per saecula apud nos florentium instituta perscrutentur. Qui ubi tractus nostros tangunt, mox alio illos ingenio oppletos esse alioque deflectere viam in animo excolendo intellegunt, ita ut inde sibi sumendum exemplum cum quadam admiratione profiteantur.
